14

De Inferno & miserando impiorum statu Disputatio 3, Anno 1569.

In Academia Ingolstadiana publicè proposita.

Matth. 25.

Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus & in carcere, & non uenistis ad me &c.

Ingolstadij ex Officina Vueissenborniana, Anno 1569. +



ἀδέσποτον.

Instabiles ecquid miseri captatis honores?
Quid secli pompas? quid titulos? quid opes?
Somnia, quisquiliæ, fumi, phantasmata næ sunt
Omnia, quæ stolidus mundus habet uel amat.
Suauiter alliciunt animos, sed uulnere diro
In sua pellectos retia, sæpe necant.
His igitur missis, expendite uerbere quanto,
Plutonis quanto ferueat igne domus.
Harum etenim rerum meditatio uulnera sanat
Pectoris, & facilem munit ad astra uiam.

I. Prate

De Inferni ſitu et qualitate,

PARS PRIMA.

I.

PRæter Sectarios et infideles, *quorum damnatio certa eſt, alios nonnullos rectà hinc ad Inferos deſcendere indubitata fide tenendum eſt.* 1.Cor.6. 1.Tim.1.

II. *Inferorum nomine manes, aut defunctorum tumulos hoc loco non accipimus, ſed receptacula illa, in quibus animæ detinentur, quæ cœleſtem beatitudinem non ſunt conſequutæ.*

III. *Hæc autem non eiuſdem generis ſunt omnia, ſed pro animarum hinc excedentium conditione, alius atq; alius.*

IIII. *Etenim, ut alibi oſtenſum eſt fuſius, eſt quoddam inter cætera, in quo piorum animæ cruciatæ expiantur tantiſper, dum in æternam patriam, in quam nihil inquinatum ingreditur, liber ijs ingreſſus patere poſsit.*

V. *Eſt aliud rurſum, in quo Sanctorum ſpiritus ante Chriſti Domini noſtri aduentum excipiebantur.*

VI. *Eſt tertium, in quod ſola originis labe contaminati deportantur.*

VII. *Eſt quartum deniq;, ubi perpetuo inextinguibiliq; igne damnatorum animæ ſimul cum immundis ſpiritibus torquentur.*

VIII. *Hoc autem poſtremum abyſſus, gehenna, tartarus, & propria ſignificatione Infernus appellatur.*

IX. *Infernus ſecundùm Scripturas ſubterraneus eſt. Vt (inquiunt)* Nume.16. *Moyſes ceſſauit loqui, cõfeſtim dirupta eſt terra ſub pedibus eorum (Core Dathan & Abiron) & aperiens os ſuum deuorauit illos, cum tabernaculis ſuis, & uniuerſa ſubſtantia eorum. Deſcenderuntq; uiui in Infernum operti humo.*

X. *Scripturæ adſtipulatur ſacratiſsimæ fidei noſtræ Symbolum: Cre-*

dimus enim Christum Dominum nostrum, ut primum redemptionis precium persoluerat, rectà mox ad Inferos descendisse, indeq; Sanctos Patres, cæterosq; pios omnes secum ad cæleste regnum euexisse. Patres au-
Lucæ.16. *tem supra impiorum carcerem Saluatoris aduentum expectasse (cum id ex Euangelio constet) dubitare non licet.*

XI. *Demum si crimen & mœror id est spiritibus, quod moles uel pondus est rebus corporatis, haud difficile fit diuinare, quo impiorum abscedant animæ, simul atq; corporeis uinculis fuerint exutæ.*

XII. *Infernus itaq; intra terræ uiscera est positus, idemq; receptaculorum omnium, quæ usq; in rerum uniuersitate existunt, longè abiectissimus.*

XIII. *Tetram loci huius faciem Scripturæ obiter attingunt potius,*
Iob.10. *quàm depingunt exactè: Dimitte me (inquit Iob) ut plangam paululum dolorem meum, antequam uadam & non reuertar, ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine: terram miseriæ & tenebrarum: ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Rursum: Præ-*
Esa.30. *parata est Tophet ab heri profunda & dilatata. Nutrimenta eius ignis et ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendet eam. Et in-*
Esa.34. *fra: Conuertentur torrentes eius in picem & humus eius in sulphur, & erit terra eius in picem ardentem: Nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus eius à generatione in generationem.*

XIIII. *Cæterũ Tophet, quo metaphoricôs Infernus hic significatur, spelunca erat in ualle filiorũ Ennon, ab urbe Hierosolymorum haud procul sita, ubi insani parentes dæmonio Moloch ex se genitos incendebant.*

XV. *Funestũ hunc locum Dominus nõ Thophet à* תפת *Hebræis idem sonans, quod Græcis & Latinis tympanum, (siquidem ne miserandos incensorum pignorum eiulatus audirent parentes, cæteri, qui fœdo huic spectaculo aderant, saltantes sese itaq; choreas ductitantes, sistra & tympana feriebant) sed à uallis hero Gehennam appellat. Qui (inquit) dixerit*
Matth.5. *fratri suo fatue, reus erit Gehennæ.*

XVI. *Vtrumq; tandem appelles uel describas, certum est Inferorum ergastulum locum esse tristissimum, multis que ac maximis cruciatibus refertissimum.*

XVII. *Ibi inter cætera penè infinita, adest ignis perpetuo urens & æ-*
Deut.32. *stuans. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usq; ad Inferni nouis-*
Psalm 20. *sima. Item: Pones eos ut clibanum ignis, in tempore uultus tui. Ibi tenebræ*
Matth.22. *Cimmerijs densiores; Ligatis manibus & pedibus, mittite eũ in tenebras exteriores,*

exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. Ibi uermis immortalis. Vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur. Ibi sulphureus foetor et ardor. Pars iniquorum in stagno ardenti igne et sulphure. Item: Ignis & spiritus procellarum pars calicis eorum. Ibi horrenda daemonum societas. Discedite à me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ibi mors immortalis, & uita semper moriens: Sicut oues in Inferno positi sunt, mors depascet eos. Ibi deniq; ne caetera, quae prae multitudine enumerari nequeunt, longius persequar, adest omne malum, & abest omne bonum. Mar.9. Apoc.21. Psalm.10. Matth.25. Psalm.48.

XVIII. *Atq; hoc ipsum ne exoticis quidem clam fuit. Nam dum Stygias paludes, obarmatas rotas, igniuomas Chimaeras, tricipitē Cerberū, Cocyti fremitum, ardentia Phlegetontis fluenta, inamoena Acherontis uada, uulturibus expositum Tityum, mento tenus summam aquam attingentem Tantalum, saxum ingens perpetuo uersantem, nec hylum tamen proficientem Sisyphum: dum (inquam) haec & alia sexcenta eiusmodi confingunt, quid aliud (quaeso) agunt, quàm quod commentis quibusdam innumera inferorum cruciamenta ob oculos nobis ponunt?*

XIX. *Verum enimuero licèt tot istic poenarum sint nomina, tot eorundem discrimina, quot nemo oratione percensere, nemo mente concipere facile queat, generatim tamen ad duo capita, puta ad damni & sensus poenam, referri possunt omnes. Discedite (inquit dominus) à me operarij iniquitatis, ubi erit fletus & stridor dentiū. Hic discessionis uoce damni, fletus uero & stridoris nomine, sensus poena insinuatur.* Lucae.13.

DE POENA DAMNI,

Pars Secunda.

I.

Est autem damni poena perfectionis, quae adesse debuerat, neq; propter peccatū adest, priuatio. Simplex nāq; beatitudinis, uel alterius cuius cunq; boni absentia, nec damni, nec poenae nomen propriè promeretur: non huius, quia nulla antecessit noxa: nec illius rursum, quia nullum, quod alioquin deberetur, bonum honestum aut commodum ademptum est.

II. *Vnde si qui nulli omnino culpae obnoxij, nec ullo rursum gratiae lumine perfusi uita excederent, (id quod diuina uirtute fieri posse dubitat nemo) nullo illi damno aut poena incommodo mulctarentur.*

III. Quod si simplicem beatitudinis priuationem, damni uel pœnæ exortem esse posse negas, & nos, qui sub orbe hoc sublunari ætatem adhuc degimus, & minus rursum fælices, fœliciorũ comparatione utriq; obstrictos teneri concedas, oportet. Siquidem neutri eò peruenere, quo peruenire fas erat, si uel hi uiuendi finem fecissent, uel illi in hac mortali uita constituti, maiorem meritorum cumulum sibi ad iunxissent.

IIII. Porrò autem licet æterni boni ἀπουσία per se quidem & intrinsecè, nec dolor sit, nec ulla animi ægritudo, (alioqui enim infantes nullo fidei Sacramẽto regenerati, utroq; uel alterutro in altero sæculo affligerentur) tamen quod proxima utriusq; uel alterius causa existat, eo orationis schemate, quo frigus appellatur pigrum, pœnæ uocabulo non infrequenter significatur.

V. Pœna damni est bipartita, una temporanea, altera sempiterna: Temporaneam pendunt, qui ad præfinitum tempus emaculantur in Purgatorio, sempiternã uerò cũ impij et scelerati omnes æterni ignis flammis perpetuo addicti, tum paruuli quoq; ante rationis usuram & fidem susceptam extincti. Nam & in illis quoq; propter primæuum iustitiæ donum amissum, nonnulla debiti ratio comperitur.

VI. Est nihilominus permagnum inter istiuscemodi paruulos, & reliquos æternis supplicijs mancipatos discrimẽ: Nam paruuli, siue quod utrunq; beatitudinis (inquam) iacturam, & originis maculam ignorent, (neutrum enim eorum citra fidei lumen, quod nullum unquam in illis fuit cognosci potest,) siue quod præpostera uoluntate id, quo se potiri non posse intelligunt, temerè non affectent: siuè deniq; quod Deus Opt: Max: ui quadam supernaturali, omnem ab eorum animis ægritudinem excludat, damnum illud lenissimè ferunt.

VII. Externa electorum gloria, si in illo uniuersali mortalium omnium iudicio, illorum oculis & animis sola obiectaretur, nonnullam fortassis mœsticiam ingerere poterat: uerum quia longè maximam miserorum turbam iuxta assistentem conspecturi sunt, theatrum illud gaudij potius, quàm tristitiæ materiam subministraturum illis creditur. Expendent enim postea quam tam ingens infelicissimorum hominum numerus existit, feliciter secum actum esse, quòd prius homines esse desierint, quam hominum more uitam potuerint instituere. Nec hoc profectò iniuria.

VIII. Nam cum nullus eorum omnium ad cœlestem beatitudinem simpli-

ſimpliciter fuerit præordinatus, (allioqui enim inde nequaquam excidiſſent) niſi ante rationis uſuram è uiuis exceſsiſſent, ad unum omnes ſceleratorũ gregi accenſi, in æternorum cruciatuum barathrum fuiſſent demerſi.

IX. *At uerò adulti qui non alieno tantum, ut paruuli, ſed actu proprio, propriaq; noxa æternæ felicitatis bonum amiſerunt, incredibilem ex amiſsione illa animi cruciatum concipiunt: quamuis non parem omnes, ſed alij alijs maiorem, prout alij alijs maioribus flagitijs fuerant operti.*

X. *At hoc interim non eſt damni pœnam, ex intrinſeca damni ratione metiri, ſed ex cauſa, ex qua prouenit, uel certe ex effectis, quæ ex ſeſe progignit.*

XI. *Quod ſi damnum iſtud ſpectemus, ut damnum, hoc eſt, ut perfectionis, quæ niſi peccatum obſtitiſſet, obuentura erat priuatio eſt, maiorem ſane damni pœnam illi ſuſtinere conuincentur, qui plurium maiorũq; dum in uiuis adhuc agerent, extiterant meritorũ, crimine tamen quopiam, prius quam ad uitæ cataſtropham perueniſſent, extinctorum. Siquidem gloria ad amuſsim commenſuratur meritis.*

XII. *Vnde licèt inter cætera Inferni mancipia non deſint fortaſſis, quæ plura maioraq; flagitia deſignarint, quàm infælix Dñi ſui proditor Iudas, tamẽ quòd is ad maiorẽ perfectionem, puta ad Apoſtolatus culmẽ, eſſet uocatus, maioriq; ſi perſtitiſſet, gloria erat potiturus, non ineptè dici poteſt Iudam Iſchariotam maiorem incurriſſe damni pœnam, multis alijs ſe nequioribus.*

XIII. *Pari modo ſi (ut pleriq; docent) auctior in Baptiſmo confertur gratia, quàm olim conferebatur in Circumciſione, Chriſtianorum infantes ante ſus ceptum Baptiſmi Sacramentum emortui, maiorem luunt damni pœnam, aut maius potius damnum, quàm Iudeorum uel gentium paruuli, nullo fidei ſymbolo inſigniti: quippe qui propter cumulatiorem gratiam, quam ex Baptiſmi fonte hauſturi erant, cumulatiorem olim accepturi erant gloriam.*

XIIII. *Quod ſi ex ſolo beatitudinis obiecto rem hanc definire uelimus, nullum cuiuscunq; demum ordinis uel conditionis extiterit, maiori altero damni pœnæ addictum eſſe comperiemus: quandoquidem nemo omniũ magis altero, aut Deum Opt: Max: coram uidebit, aut cæleſte regnũ poſſidebit, ſed omnes ex æquo & extra cœlum, & ſuo etiam modo extra Deum, una cum diabolis perpetua tormenta expendent.*

I. Pœna

DE POENA SENSVS,

Pars tertia.

I.

Poena sensus est quæuis corporis, uel animi offensio, ex cuiusuis cruciamenti sensu orta. Nec enim pœna i, l hæc ideo id nominis sortita est, quod ui aliqua sentiente percipiatur (nam aliâs nulla sensus pœna in spiritum cadere posset,) sed quia est quippiam reale & positiuũ, uiuentis naturæ insidens, insidendoq; secus, ac natiua eius ratio ferebat, eandem afficiens.

II. *Hæc autem sensus pœna generatim accepta bipartito diuidi potest: in interiorem nimirum & exteriorem. Hæc corpori uel animo uel ex utroq; concreto forinsecus adfertur, illa ex quopiam, quod animus auersatur, intra pectoris sinus, & quasi domi nascitur.*

III. *Pœna exterior utrunq; & dolor & tristitia, & utriusq; rursum causa existere potest, interior tristitia esse potest, dolor uerò aut proxima doloris causa per se esse non potest: ut qui aliud sit nihil, quam animi offensio ex carne, & quædam ab eius passione dissensio*

Aug. 14. c. 15. de ciui. IIII. *Vnde nec in solam animam, aut spiritum, aut in ullum omnino corpus sensu destitutum cadit dolor, sed in animantia tantum.*

V. *Veruntamen hoc inter dolorem & tristitiam discrimen non admodum religiose a plerisq; seruatur: Nam passim doloris uocabulum pro tristitia, & hoc rursum pro illo, etiam apud celebres scriptores usurpatur.*

VI. *Cæterum cum in eadem illa doloris descriptione additur, citra quandam animæ dissensionem dolorem non contingere, id nisi ad inferiores animi uires, aut certè ad naturalẽ uoluntatis propensionem referatur, non est perpetuo uerum: Certum namq; est Christum Dominum nostrum,* Math. 28. *& post ipsum Apostolos & Martyres sanctos, citra ullam uoluntatis luctationem, grauissima cruciamenta pertulisse,*

VII. *Porrò autem ad ciendum dolorem uel tristiciam, non sat est ut ignis uel aliud quoduis eiusmodi sensum quouis modo afficiat, suiue in eo noticiam proferat, sed præter utrumq;, necessarium quoq; est, uti unà cum sui cognitione, sui quoq; detestationem ingerat: quod si alterutrum horum, cognitio, inquam, uel detestatio defuerit, perfecta doloris aut tristiciæ ratio constare nequaquam poterit.*

VIII. Etenim

VIII. Etenim ut sola materialis organi immutatio, nisi unà cum organi immutatione uitæ operatio adsit, doloris aut tristitiæ sensum per se efficere nequit: (quamuis è diuerso sola intentionalis, citra materialem per se utrumq; queat: uidemus namq; sola formidabilis cuiuspiam cogitatione, mir. s nonnunquam animi motus excitari.) ita sola cuiusuis cunq; obiecti impreßio, nisi fuga eiusdem, uel detestatio adfuerit, perfectam animi ægritudinem ciere non potest.

IX. Quamuis diuina uirtute & transnaturaliter, non modò tristitia, uerum etiam dolor, absq; ullo omnino corporis motu, qui adsit, uel adfuerit, uel ad futurus sit, uiuenti adesse queat, ui tamen creata & naturaliter (in huius præsertim uitæ statione) neutrum absq; uera carnis immutatione adesse solet, neq; fortaßis adesse potest.

IGNEM INFERNI CORPOREUM ESSE, Pars quarta.

I.

CAeterum ut pœnæ exteriores, tametsi permultæ sunt, ignis tamen uocabulo pleræq; omnes significantur, ita interiores omnes uermis appellatione exprimi cõsueuerunt. Quod si (inquit Dominus) oculus tuus scandalizat te erue eum. Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in Gehennam ignis inextinguibilis, ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Mar.9.

II. At non eadem interim utriusq; appellationis est ratio. Nam quod neq; corpora in fæda illa, & iugi uermium scaturigine, perpetuo incolumia subsistere, nec ullum rursum animantis genus quantumlibet ualidum, citra singulare miraculum, in æstuantisimo ignis incendio perpetuam ætatem degere posse uideatur, uox hæc uermis ἀσχημαλισμένως exponi fortaßis non potest, ignis autem uocabulum ab eo sensu, quem prima fronte offert, ad tropum transferri, nec debet, nec rectè etiam potest.

III. Si quis (inquit Ioannes) adorauerit bestiam & imaginem eius, cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni, & fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum. Et infra: Missi sunt uiui in stagnum ignis ardentis sulphure. Item: Pluet super eos laqueos ignis & sulphur: Cuiusmodi nimirum iam pridem ante super Gomorræos & eorum uicinos (quos sceleratis omnibus Apo.14. Apo 19. Psalm.10. Genes.19.

bus in ignis æterni exemplũ propositos esse ex canonica Iudæ didicimus) pluisse legitur. Item: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Item: Pater Abraham misere mei, quia crucior in hac flamma &c.

Matth.25. Luc.16.

IIII. Hæc profectò & alia id genus permulta, quæ breuitatis studio missa hic facimus, nullum metaphoræ colorẽ præ se ferunt, litera autem deserta, ad tropos abscedere, non quauis de causa fas fuerit, sed tunc demũ cum sermo planè & ἀσχηματίστως acceptus, quippiam absurdum, aut fidei dissentaneum adfert, ut cum dicitur. Si pes tuus scandalizat te ampu-ta illũ, & proijce abs te. Item: Ego sum uitis, uos autẽ palmites. In locis autem paulo ante citatis, cæterisq; similibus, nihil prorsus falsi uel absurdi, nihil quod sanæ sanctorum Patrum doctrinæ non uehementer consentiat continetur.

Mar.9. Ioh.5.

4.Dialo.29. V. Dum (inquit Gregorius) diuitem peccatorẽ ueritas in igne damnatũ perhibet, quisnam sapiens reproborũ animas igne teneri neget? Idem:
Ibidem. Ignem (inquit) gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est
Super Genes. corpora cruciari. Rursum Augustinus: Gehenna illa, quæ stagnũ ignis & sulphuris dicta est, corporeus ignis erit & cruciabit damnatorum corpora. Idem. Cur (inquit) non dicamus quamuis miris, ueris tamen modis etiam spiritus incorporeos pœna corporalis ignis posse affligi, si spiritus hominum etiam incorporei & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum uinculis insolubiliter alligari. Hæc illi.

Li.21.c.10.de ciui.

VI. Adde nequaquam probabile fieri, alio nunc igne sceleratos torqueri, alio olim resumpta carne tortum iri: post communem autem carnis resurrectionem impios omnes, inter sæuas corporei ignis flammas arsuros esse, tanta omnium consensione semper est creditum, tantaq; constantia, iam inde à natæ ecclesiæ exordio, Christiano populo inculcatum, ut maiore uix aliud ullum.

VII. Deniq; si iustorum spiritus, qui ita in charitate hinc decesserunt, ut tamen plenam suorum peccatorũ pœnitentiam non egerint, in altero sæculo uero naturaliq; igne (ut alio in loco ostensum est fusissimè) expiantur, neq; alio (ut Patrum traditio habet & ratio confirmat) cremãtur igne scelerati in inferno, alio electi permundantur in purgatorio, sed eodem: profectò citra manifestam temeritatem de ignis tartarei ueritate ambigere non licet.

VIII. Spiritalem hunc ignem quosdam appellasse non diffitemur,

uerum

uerum id eo sensu, quo post uniuersalem carnis resurectionem, mortalium omnium corpora fore dicuntur spiritalia. Nam ut illa citra ullum omnino alimentum, perpetuam ætatem sunt actura, ita ignis ille diuino spiritu accensus, citra ullum omnino lignorum aut aliarum quarumlibet rerum fomentum, æuo sempiterno arsurus creditur. 1. Cor. 15.

IX. Nec ignis naturam infringit, quod præter communem ignis rationem, in æquè propinquos non ex æquo desæuiat. Siquidem flammæ tartareæ non tantum ui propria agunt, quamuis ea etiam agant, alioqui enim quiduis aliud earum loco posset adhiberi, sed multo maximè uirtute diuina, cuius in plectendis sontibus instrumentum existunt.

X. Vnde ut aqua & alia elementa, quæ Deus Opt: Max: per se, aut per ministros suos ad aliquem transnaturalem effectum producendũ, nonnunquam adhibet, propter eiusmodi usum uel ministerium non desinunt esse ueræ ac naturales aquæ, ita ignis tartareus non ideo non est uerus ignis, quod digito diuino motus aliquid efficit, quod suapte ui ac natura efficere nequibat.

XI. Quamuis forsan hæc agendi dissimilitudo, non tota proueniat ex dissimili ignis actione, sed ex dissimili patientium dispositione. Vnus (inquit Gregorius) est Gehennæ ignis, sed non uno modo excruciat omnes peccatores, uniuscuiusq; enim quantum exigit culpa, tanta illic sentitur pœna: nam sicut in hoc mundo sub uno sole multi consistunt, nec tamen eiusdem solis ardorem æqualiter sentiunt, quia alius plus æstuat alius minus, ita illic in uno igne non est unus modus incendij, quia quod hic diuersitas corporum, hoc illic agit diuersitas meritorum, ut et ignem non dissimilem habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter exurat. Consentit Augustinus. Nequaquam (inquit) negandum est ipsum etiam æternum ignem, pro diuersitate meritorum quamuis malorum, alijs leuiorem, alijs futurum esse grauiorem: siue ipsius uis atq; ardor pro pœna digna cuiusq; uarietur, siue ipse æqualiter ardeat, sed non æquali molestia sentiatur. 4. Dial. c. 43. 21. de ciui.

DE POENARVM INter se comparatione, Pars quinta.

I.

Malorum omnium, quæ homini ex peccato accidere possunt, primũ est Deum Opt: Max: infestum habere, iucundissimaq; eiusdem præsentia in omne æuum priuatum esse. Mille (inquit Chrysostomus) Gehennas ponas, nihil tale dices, quale est excludi à gloria, & odio haberi à Christo.

Homi. 23. in Matth.

II. *Adde maiorem merito mali rationem ibi constitui, ubi minor, uel etiam nulla se offert ratio boni, pœna autem damni (ut quæ in perfectà quadam priuatione sit posita) ut nullius rei, ita nullius quoq; boni naturam includit, pœna autem sensus, tam interior, quàm exterior, neutrum excludit, nec enim pœna illa nulla omnino res est, aut bonum, quamuis nõ illi, cui infertur.*

III. *Ad hæc unumquodq; uerius quodammodo, perfectiusq; in sua origine existit, quàm in suo effectu, at præcipua sensus pœna, ex pœna dãni, ueluti ex proxima sua causa enascitur.*

IIII. *Demum hæc damni pœna multò maiorem cum peccato cognationem habet, quàm alia quæuis sensilis. Nam una hæc inter omnes ex eo prodit proximè, eiq; ad amussim respondet, quod in peccato principatum tenet, puta auersioni, qua peccator sciens ac uolens summo æternoq; bono deserto, ad quoduis bonum caducum sese abijcit.*

V. *Inter omnes itaq; Inferni pœnas, pœna damni primatum obtinet. Ventri tamen & mundi huius uoluptatibus dediti: siue quod ea, quæ sensum demulcent, notiora habeant, siue etiam quòd istiuscemodi nonnulla cum corporis immutatione accedant, uehementiusq; quàm spiritalia afficiant, siue deniq; quod sensiles oblectationes tanquam medicamenta quædam, contra internas animorum ægritudines uehementius appetant, haud temerè istud persuadeas.*

VI. *Sed sanè uehementissimè ea in re caligant miseri: siquidem spiritales delitiæ, & eæ præsertim, quæ ex Deo summè dilecto hauriuntur, omnes carnis illecebras & uoluptates, immẽso interuallo post se relinquunt. Vnde cordati uiri ne honoris, aut dignitatis, aut alterius cuiuspiam huiusmodi iacturam faciant, ingentia incommoda perferre, ac pericula subire non dubitant.*

VII. *Proximũ post pœnam damni locũ interior sensus pœna meritò sibi uendicat: Nam & malum damnatorum animas interius affligens est lõgè maximum, nempe perpetua summi boni, summæq; perfectionis, imò uerò omnis boni, quod rectè expeti potest priuatio: & interiores præterea eorum uires multo magis patent tristitiæ undecumq; natæ, quam ignis*

flammæ:

flammæ: siquidem ignis per se naturaliter animam affligere non potest, tristitia autem per se & naturaliter potest: Deniq; *mæror ex ingenti illa cœlestium bonorum iactura ortus, multo præsentior adest animæ, quàm ulla pœna extrinsecus allata adesse potest:* Nam *cum sit quiddam spiritale, per se intra animam existere potest, ignis autem & cætera elementa, per se intra animam esse nequeunt, sed tantum per sui similitudinem.*

VIII. *Cum ergo tam pœna, quam oblectatio ex tribus potißimum intendantur, puta ex mali uel boni præsentis magnitudine: ex potentiæ ad læta uel tristia haurienda capacitate: & demum ex intima mali uel boni, quod præsens adest, cum ipsa potentia coniunctione, fit ut interior sensus pœna, secundum damni pœnam, sit maxima: sicut uice uersa internum beatorum gaudium, propter summam summi boni cum eorum animis coniunctionem, summamq; eorundem ad quæuis læta capessenda habilitatem est longè intensißimum.*

IX. *Neq; interiorem sensus pœnam mitigat, quod damnati infestißimè* Deum *oderint.* Nam *etsi syncera animi affectione* Deo *præsente frui non exoptent, tamen quod claram* Dei *uisionem, summa cum uoluptate coniunctam esse non ignorent, proprij amoris stimulis acti, ardentißimis uotis fruitionem illam exoptant. Et quia desiderata potiri nequeunt, supra quam dici, aut credi potest insaniunt.*

X. *Cæterum an rabies illa in* Creatorem, *& tristitia, quæ hinc exoritur, in altero sæculo intendantur, non omninò certum est.* Analogia *ab electorum dilectione sumpta, dici posset, secundum habitum quidem non intendi, intendi tamen secundum actum, ut qui istic nunquam interrumpatur.*

XI. *Sed non minori fortaßis probabilitate asseuerari potest, utrobiq; nonnullam accesionem fieri.* Nam *præterquam quod utrunq; & amor, inquam, & odium in altero sæculo in subiecto immotè confirmantur (id quod communi lege hic fieri non solet) utrumq; etiam intrinsecè intendi uidetur.*

XII. Quandoquidem *ut ex clara* Dei *uisione, securaq; tanti boni possesione, in beatorum pectoribus flagrantißima amoris flama accenditur, ex qua proximè immensum in eorundem appetitum exundat gaudium, & utrumq; innumeris penè partibus maius, quàm cuiquam hominum in uitæ huius stadio obtingere potest: ita è diuerso ex irreparabili illa æternæ fœlicitatis iactura, immanißimaq; tristitia iacturæ huic, tanquam effectus suæ causæ adiuncta, in damnatorum animis tantum contra* Deum

 exurgit

exurgit odium, tantumq; ulciscendi studium, quantum in hac mortali uita in nullum hominem, quantumlibet sceleratum cadere potest.

XIII. Et quoniam propter infinitam præpotentis Dei maiestatem, pharmaco uindictæ rabiei suæ mederi nequeunt, tanta hinc quoq; priori. bus ægritudinibus & miserijs, ægritudo & miseria accedit, quantam animo concipere nemo hominum potest. Estq; hæc rabies in Deum non solum pœna, sed, si rem secundam naturam suam spectes, immanis quoq; culpa. Nihil enim absurdius, nihil a rationis lege alienius, quàm summum bonum summo odio persequi: tametsi propter statum, in quo miseri illi uersantur, odium illud ad nonam noxam aut pœnam non imputetur.

XIIII. Neq; tamen insignis hæc impiorum peruersitas nullo prorsus fundamento se tuetur: Nam etsi Deus secundum se odio haberi non queat, (est enim non tam bonus, quàm immensum quoddam totius bonitatis pelagus) tamen quia damnati secundum bonitatis suæ diuitias eum non considerant, sed tantum secundum iustitiæ suæ leges, quatenus nimirum acerrimus scelerum uindex existit, fit ut quem summè amare debuerant, non ament, sed maximo odio habeant.

XV. Omnium itaq; pœnarum Inferni mitissima est, quæ per ignẽ aut alia elementa extrinsecus adfertur: Et tamẽ si sanctis Patrib. si diuinis reuelationibus, si eorum qui hanc uel κατ᾽ ὄναρ experti sunt sermonibus, si deniq; Sacris & diuinis literis fides est, (ut citra omnem controuersiam maxima est) pœna illa tartarei ignis omnibus pœnis & cruciatibus, quæ homini in hac uita inferri possunt, infinitis penè parasangis intensior, acerbior, ac molestior est.

XVI Inter damni & sensus pœnam hoc primo interest, quod pœna damni (ut pote in priuatione quadam consistens) nullam secundum se intensionem aut remissionem admittat, pœna autem sensus tam exterior, quàm interior, pro ratione meritorum utrumq; admittit: mox pœnæ damni nullum post generalem carnis resurrectionem incrementum accedet, sensili autem (præsertim quod ad homines spectat) nonnullum accedet: siquidem iam tum non in solam animam desæuiet ignis, ut modo, sed in animam & corpus simul: Postremò pœna damni à sensili separari potest, pœna autem sensilis à damni pœna seiungi nequit. Nec enim, cõmuni lege, contingit quempiam perfecta beatitudine potitũ, alicui sensili pœnæ adhuc obnoxium teneri.

XVII. Vtriq; pœnæ cõmune est & temporalem & æternam esse posse: Etenim Patres in limbo temporalem tantum damni pœnam pen-

debant,

debant, infantes uerò in originis peccato extincti eandem etiam solam luunt, non tamen temporaneam, ut patres, sed æternam. In purgatorio autē & Inferno utraq; coniungitur, uerùm in illo ad tempus præfinitum, in hoc uerò in omne æuum. Discedite (inquit Dominus) in ignem æternum. Item: Omnipotens uisitabit iniquos, & dabit ignem & uermem in carnem ipsorum, ut urantur & sentiant usq; in sempiternum. Matt.25. Iudith.16.

DE POENARVM INFERNA-lium æternitate, Pars sexta.

I.

CAeterum quod hanc pœnarum æternitatem quidam uel non credūt, uel certè minus rectè quàm par est de ea sentiunt, id inde prouenire credibile est, quod de infinita Dei Opt: Max. iustitia non idem omninò statuunt, quod de eiusdem misericordia, cum tamen neutra absq; altera locum suum rectè tueri queat. Nec enim Deus summè bonus esse potest, absq; iustitia, nec rursum summè iustus absq; clementia: sed utrumq; coniungi, utrumq; alterius opè niti debet, immo uerò utrumq; unum & idem in Deo est.

II. Vnde ut inexhaustæ misericordiæ illius est Sanctos & amicos suos, quousq; in sanctitate & amicitia sua syncerè perseuerauerint, paternè complecti, meritisq; eosdem honoribus afficere, ita infinitæ eiusdem iustitiæ est, sceleratos, quousq; pertinaci animi studio scelerati esse perrexerint, à sua amicitia repellere, pœnasq; moribus factisq; eorum dignas eisdem irrogare. At neutri unquàm a sententia recedent.

III. Platonici porrò & Origenistæ, quamuis nulla peccata uelint esse impunita, omnes tamen pœnas, siue in hac uita, siue post mortem, siue humanis, siue diuinis legibus inflictas, purgatorias esse contendunt. Hinc illa Maroniana.

Quin & supremo cum lumine uita relinquit,
Non tamen omne malum miseris, nec penitus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusq; necesse est,
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, ueterumq; malorum.
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes,

Suspensæ

Suspensæ ad uentos, alijs sub gurgite uasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igne.

Hæc Maro Platonizans.

IIII. Verum his rectè obijci potest. Si impios & sceleratos scelerum suorum supplicia expendere ius est: aut ergo æqua, & uel in partem eorū sceleribus commensurata, aut secus: si hoc, idem erit ac si relinquantur impunita: sin illud autem, non ergo eorum pœnæ quandoq; absolui, sed in omne prorsus æuum extendi debent. Nam cum quoduis lethale crimen æternum suppliciūm iustißimè promereatur, si æterni loco qualecumq; temporale irrogaretur, ea inter pœnam & noxam analogia constitueretur, quæ est inter finitum & infinitum, hoc est omnino nulla.

V. Quod autem quoduis lethale crimen æterna supplicia æquißima ratione commereatur, id (ut Scripturarum, Patrum, & Ecclesiæ authoritas desit) uel sola rationis luce ostendi potest. Nemo enim nescit, qui iniquè parem offendit, ut noxam admittit, ita non nulla quoq; pœna dignum effici, maiori uerò si maiorē. Cum ergo omnipotens Deus quouis homine, immò tota rerum uniuersitate, infra ipsum, infinitis partibus sit maior, sanctior, atq; præstantior, quicunq; sciens ac uolens iniurius contumeliosusue in eum extiterit, infinito maiori se pœna obstringit, atq; si pari aut alteri cuicunq; superiori quantamcumq; iniuriam intulisset: pœna autem infinitæ acerbitatis homini irrogari non potest, cum eius non sit capax, irrogabitur ergo pœna infinitæ moræ seu durationis, cuius capax esse ualet.

VI. Rursum ut finitæ contemptioni, secundum iustitiæ rationem, finita debetur uindicta, ita infinitæ infinita: at quoduis mortiferū peccatum infinitū propemodū Dei contemptū includit. Nam quo bonū, quod lethaliter peccans Deo anteponit, fuerit uilius, eò illū despectui habet turpius: (esset enim contemptio probrosißima si quis principem uirum, unius nucis precio hosti proderet, aut crudeliter trucidaret) at quodcumq; bonum ortum, æterno bono commissum, infinitis ab eo partibus distat. Vnde qui ut libidinem suam expleat, cuicumq; commodo Deum posthabet, quod in se est, infinitè eum contemmit.

VII. Pari modo immensa rapina, infinitaq; animi ingratitudo multò iustius æternum supplicium promeretur, quàm quoduis pium opus æternum præmium, (siquidem bona opera omnia maiori ex parte sunt ex Deo, rapina autem, sicut & quoduis aliud peccatum, quatenus peccati rationem subit, in solidum est ab homine, uel dæmone peccāte:) atqui mortalium unusquilibet pro infinitis in se collatis beneficijs, cuiusmodi inter

cætera

cætera sunt perpetuum esse & uiuere, perpetuam Deo Opt. Max: seruitutem, perpetuamq; eidem gratiarum actionem debet: per peccatum autem mortiferum perpetuo Dei seruitio sese subducit, sempiternæq; diaboli seruituti colla submittit.

VIII. Deniq; si unum extremorum & medium in rerum natura cumpertum fuerit, comperiri & alterum quoq; solet: in rerum autem uniuersitate comperitur quædam summa fœlicitas, & quædam rursus nonnulla cum infœlicitate coniuncta, comperietur ergo & quædam etiam, summa infœlicitas, & quædam item medio modo affecta, qualis nimirum est fœlicitas & infœlicitas huius uitæ: at miseria, quæ finem aliquando habitura est, summa dici non potest: cum ergo damnatorũ infœlicitas sit maxima, nullum illa unquam finem est sortitura.

IX. Neq; patrocinatur Platonicorum, aut Origenistarum commẽto, peccati actum & libidinem ei adiunctam momentanea esse: nam etsi actus & uoluptatula actui adiuncta transeant, macula tamen, peccandiq; studium ex peccato relicta, perpetuò manent. Quod si horum neutrum reliquum fieret, adhuc tamen non est nouum, nec inusitatum non solùm in naturalibus, uerùm etiam in moralibus, quod momento aut certè breuissimo tempore patratum est, perpetuum post se uestigium relinquere.

X. Octo (inquit Augustinus) genera pœnarum in Legibus esse scribit Tullius: damnũ, uincula, uerbera, talionem, ignominiam, exiliũ, mortem, seruitutem. Quid horum est, quod tanta uindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratũ, nisi forte talio? Si alienæ fœminæ osculum infixum rationis sit uerbere uindicare, nonne qui illud puncto temporis fecerit, incomparabili horarum spacio uerberatur, & suauitas uoluptatis exiguæ diuturno dolore punitur? Iam uerò damnum, ignominia, exilium, & seruitus, cùm plærunq; sic insliguntur, ut nulla uenia relaxentur, nonne pro huius uitæ modo similia pœnis uidentur æternis? deniq; qui pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, num quia mora, qua occiditur, quæ perbreuis est, eius supplicium leges breue existimant, & non quod eum in sempiternum auferunt de Societate uiuentium? Hæc & alia multa in eundem sensum Augustinus. 21. de ciui.

XI. Quamobrem quicunq; propter quodcunq; lethale peccatum patratum, semel in tartara præcipites acti sunt: siue Baptismi Dominiciq; corporis aliquando participes extiterint, siue secus: siue in fide Catholica semel suscepta, ad finẽ usq; perseuerauerint siue ad Lutheranismum, uel Caluinianismum, uel ad aliam quamcunq; sectam degenerauerint: siue

eleemosynis inuitus ad hoc constituti erogandis fuerint dediti, siue rapinis et fraudibus intenti, siue denique suffragatores aliquos hic nacti fuerint, siue nullos, nullo unquam tempore aut æuo inde emersuri sunt.

DE TARTAREARVM POENARUM causis, Pars septima.

I.

AEternarum pœnarum effectrix causa est Deus Opt: Max. meritoria peccatum, subiectum proprium homo uel angelus, instrumẽtalis ignis & cætera elementa, finalis diuinæ iustitiæ gloria.

II. Cæterum ignis gemina actione in damnatos acturus creditur, homonyma uidelicet & synonyma, quamuis id non necessariò, potest enim istarum actionum altera ab altera seiungi. Nam ut lignum ab igne calefieri queat, affligi tamen ab eo non ualet: Contra spiritus cruciatum ab igne haurire potest, calorem uerò naturaliter non potest: Corpus autẽ anima præditum utrumque potest, & ab igne calefieri & ab eodem rursum affligi.

III. Actionem homonymam alio nomine intentionalẽ appellant, siquidem forma, qua potentiã mouet agens, non eiusdẽ rationis est cũ ea, qua agit. Nec enim ut ignis calore suo in aerem inducit, uel hinc potius educit calorem, ita mons in oculum inducit montẽ, sed mõtis tantùm similitudinẽ.

IIII. Neque tamen actiones illæ homonymæ, quia homonymæ intentionales sunt, ideò non sunt ueræ ac naturales, sunt enim utrumque, ueræ quidem quia in materiam eiusmodi formæ capiundæ idoneam, ueram formam imprimunt, naturales uerò, quia ex principijs naturalibus, naturaliterque agentibus proximè emanant. Dicuntur tamen intentionales, quia quod in potentiam ab ijs productum recipitur, non est eiusdem naturæ cum producente sed alterius.

V. Sola naturæ actio per se cruciatum ciere non potest, intentionalis autem per se potest. Videmus namque sola terribilis cuiuspiam, ut capiti iam imminentis concepti, meditatione, ingentes quandoque animorũ perturbationes concitari. Nam & Dominus noster sola impendentium cruciamentorum cogitatione exterritus, sanguinem sudasse legitur.

Luc. 22. VI. Inter formas illas materiales & intentiones hoc, præter cætera, intercedit, quod intentionales quantumlibet excellentes subiectum per se non corrumpant. Nihil enim ab igne absumi potest, nisi natiuum ipsius ig-

nis

nis ardorem in se suscipiat, materiales uerò, & inter eas præcipuè tactiles, si uehementiores fuerint, non solùm potentiam lædunt, sed ipsum quoq; compositum perimunt, quippe cum corporis incolumitas, ab eiusmodi tactilium qualitatum temperie per se dependeat.

VII. Quamuis autem actiones illæ diuersarum sint rationum & naturarum, non tamen simpliciter sunt oppositæ. Nam & se mutuò ferre possunt, & olim reipsa se inuicem ferent. Siquidem damnatorum corpra neutram formarum respuent, & ignis tartareus, quam modo agendi uim habet, post iudicium non amittet.

QVOD SPIRITVS VERE torqueãtur ab igne corporeo, Pars octaua.

I.

Humanos spiritus & dæmones non solùm in igne, uerùm etiam ab igne, quod nolint, pati, nullatenus dubitandum est. Nec enim diues Epulo inter flammas constitutus, nulla causa tanta contentione aquæ guttulam efflagitat, nec frustra dæmones abyssum tantopere exhorrent. Lucæ 16. Lu.8.

II. Nam etsi dici queat non ideo abyssum deprecari, quod maiores illi, quàm ubi nunc ætatem degunt pœnas pendant, sed quod minorem in abysso, quàm in aere hoc caliginoso suæ libidinis explendæ occasionem habeant (ardent enim perdendorum & subuertendorum hominum desiderio) utroq; tamen moueri, quàm maximè probabile est. Iob.1.2 Ioan.8.

III. Verum enimuerò ut apud plerosq; omnes, id maximè certum & indubitatũ sit: certum tamen & indubitatum modum, quo id fit, certa & indubitata ratione assignare non ualemus: nec id sane mirũ. Nam quæ certa tantum fide tenemus, ea certa ratione ostendere uelle, cum ipsa ratione quodammodo insanire esset.

IIII. Vt igitur uirginem peperisse, Christum clauso sepulchro emersisse, cœlos omnes citra ullam eorum offensionem penetrasse, eundem totũ in quauis Eucharistiæ parte, etiam minima adesse, & alia id genus quàm plurima firmissimè credimus, & tamen horum omnium similiumq; mysteriorum rationes in uitæ huius peregrinatione constituti, ad plenũ inuestigare nequimus, ita dæmones & impiorũ animas ab igne tartareo cruciari certa fide tenemus; cruciatuũ tamen modũ certa uia aperire nõ possumus. Esa.7. Mat. vii. Matthei 28. Act.8. Matth.10.

V. Non desunt quidem, qui tradant idem esse spiritum ab igne pati quod ignem præsentem habere, eundemq; ut sibi infestum auersari: Sed ut

maximè utrumq;, ignis, inquam, præsentia & fuga, nonnullam animo molestiam conciliare queat, neutrum tamen tantos cruciatus inferre potest, quantos apud Inferos desæuire credunt fideles, & prædicant Patres: Immò sola ignis præsentia per se spiritum affligere non potest. Nam aliàs beatorum spiritus eadem illa ignis præsentia non minus offenderentur, quàm impiorum manes.

VI. *Adde eiusmodi damnatæ mentis conceptum necessariò alterutrum esse, nempe uerum aut falsum: si falsus est, non uerè ergo spiritus affliguntur ab igne, sed à sua falsa & insulsa imaginatione: sin autem uerus, uerè ergo cruciantur ab igne, sed interim cruciatus modus æquè latet atq; ante.*

VII. *Sunt qui asserant non alio ante iudicium igne animas torqueri, quam amissæ beatitudinis mærore, malorumq;, quæ recepta carne perpessuræ sunt formidine. Verùm hoc admisso, & multo grauiora expenderent homines supplicia, quam dæmones, & nihil præterea referret in igne ne detinerentur, an in alio quouis loco, uel elemento: id quod illis quoq; iure obijci potest, qui statuunt aliud nihil esse spiritum ab igne pati, quàm igni ueluti ergastulo cuipiam inclusum teneri.*

VIII. *Dicerent Platonici ex aere isto crasso & humido sua quoq; dæmonibus, & animabus adesse corpora, in quibus non secus atq; cætera animantia tormenta patiantur: sed uehementer dubito an communi fidei*
De summa Tri. & fide: *nostræ regulæ sat cōsentaneè defendi id possit. Credimus enim unū esse uniuersorum uisibilium & inuisibilium, corporalium & spiritalium principium.*

IX. *Sed neq; intelligi satis potest, si dæmones & animæ materiæ sunt concretæ, quo modo uel hæ unà cum corpore hominem absoluant, uel illi tanta multitudine in uno simul homine stationem tenere ualeant. Le-*
Luc. 9. *gimus enim integram dæmonum legionem unum quandoq; hominem simul occupatum tenuisse.*

X. *Aequè periculosè asseritur, animas hinc excedētes uires sensitiuas secum trahere, sunt enim sensus omnes tam interiores, quam exteriores materiæ immersi, anima autem, ut nunc statuimus, omnis est expers materiæ. Tribuitur quidem à Patribus nonnunquam etiam animæ separatæ sensus & phantasia, sed id non alia de causa, quàm quod totum hoc nosse potest separata solo intellectu, quod coniuncta poterat per sensum & intellectum simul.*

XI. *Hoc ipso eorum quoq; sententia conuellitur, qui docent dæmones*

nes & defunctorum spiritus nulla alia re magis apud Inferos torqueri, quam imaginarijs quibusdam terroribus & anxietatibus, cuiusmodi nimirum somniantes, uel graui phrenesi laborantes, uel terrificum quippiam intensius animo uersantes experiri interdũ solent. Nam praeterquam quod nullum phantasiae organum, in spiritibus reliquum fiat, hac etiam ratione (ut paulo ante inferebamus) non ab igne, aut alio quouis externo agente excruciarentur, sed solùm à sua falsa imaginatione.

XII. *Sunt alij nonnulli, qui existimant alterutrũ fieri, puta uel igni eiusmodi quippiam accedere, quo se ipso maior effectus in spiritum possit agere, uel certè spiritum tale quiddam diuinitus accipere, quo ab igne queat pati: sed utrumq; in idem recidit. Nam & ignis inhaerentis spiritalis qualitatis per se non est capax, nec anima rursum aut spiritus materialis. Quod si spiritui spiritalem qualitatem aduenire statueris, iam aequè ut ante igni hauriendo idoneus erit.*

XIII. *Sed nec illi quoq; omnem omninò difficultatis nodum dissoluunt, qui rati animam corpori immersam proximè ab igne uel alio huiusmodi non posse pati, tradunt Deum Opt: Max. id per se in animam separatam ignis ministerio effecturum, quod nunc agit in eandem intercedente carne. Nã etsi omnipotens Deus causas extrinsecas, per se explere queat, intrinsecas tamen non potest: nec enim hominem aut equum facere potest sine carne, aut sine anima, bene tamen utrumq; potest absq; semine & generante, anima autem non patitur ab igne mediante corpore, tanquam à causa agente. Nec enim ignis proximè agit in corpus, & hoc in animam, sed id in quod ignis proximè agit est corpus animatum, intrinsecè includens corpus & animam, nõ aliter atq; homo ipse utrumq; intrinsecè atq; essentialiter includit, atque hoc ipsum ignis ministerio cruciatur à Deo.*

XIIII. *Similitudo quam de Sacramentis adferre hic solent, asserentes ut Deus per aquã attingit animã, interius eam sanctificando, ita per ignem attingere spiritum eundem puniendo, in partem quidem quadrat, non tamen in omnem: siquidem Sacramenta, quae externa materia constant, in mysterijs initiandum uerè agunt, aqua enim Baptismi exterius adhibita, candidatum uerè humectat, oleum uerè impinguat &c. ignis autem, quòd spiritu multò imbecillior sit, ui sua nullam ueri caloris qualitatem in spiritum inducere potest.*

XV. *Neq; ob id tamen prorsus ociose adhibetur, agit enim in spiritum, & quidem quod suarum est partium perstrenuè agit. Nam etsi ea na-*

tur e uis igni non insit, ut spiritum calefacere, aut inflammare queat: habet tamen naturalem uim spiritum locandi, definitiue continendi (nec enim spiritus nusquam gentium degunt) ueruntamen quod spiritum ea ratione intra sese contineat, ut is alio nusquam prorsus abscedere queat, id non habet ex ui propria, sed ex uirtute diuina.

XVI. *Rursum naturale est igni, atq; adeò cum cæteris omnibus corporibus ac rebus corporatis comune, intellectilem sui speciem imprimere posse, uerùm quod ea ui sui similitudinem intellectui imprimat, ut nullo is temporis articulo ab ignis consideratione auertere se ualeat, atq; ita dispositionem optimo naturæ suæ statui repugnantem inducat, id ignis non habet ex suapte natura, sed ex Creatoris potentia.*

XVII. *Verum enimuerò quia utrumlibet horum æquè per aliud quoduis corpus aut corporatum fieri poterat, atq; per ignem, neq; intelligi satis potest, quonam modo uiolenta illa detentio & speciei impreßio, & cætera etiam omnia, quæ hactenus exposita sunt, tantum cruciatū adferre queant, quantum damnati apud Inferos perferre creduntur, citra ullam temeritatem asseuerari posse existimamus, ignem tartareū (& idem nunc statuimus de igne purgatorio) in animas & dæmones agere, nō solùm alligando, intellectilemq; sui speciem imprimendo, uerùm etiam uere realiterq; suo ardore eosdem immutando, & supra quā dici potest cruciando & affligendo.*

4. Dialo. c. 29. XVIII. *Ex dictis (inquit Gregorius) Euangelicis colligere possumus, quod incendium anima non solum uidendo, uerùm etiam experiendo patiatur: Diues etenim mortuus deprecatus est Abraham dicens: Mitte Lazarum ut immittat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguā*
21. c. 10. de ciui. *meam, quia crucior in hac flamma. Augustinus: Si (inquit) nulla dæmones corpora habere quisq̄ asseuerat non est de hacre aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosè certandum: Cur enim non dicamus quamuis miris, ueris tamen modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi si spiritus hominum etiam ipsi incorporei potuerunt corporalibus mēbris includi. Et subdit, Adhærebunt ergo dæmonū spiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi, non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum uincturæ inspirentur, & animalia fiant, sed ut dixi miris*
Dial. de part. 2. *& ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non*
nume. uide. 10. 18. *dantes ignibus uitam. Dionysius Carthusianus: Ego inquit firmißimè atq; simpliciter credo, teneo, & affirmo, quod ignis ille purgatorij & Inferni*

uere

uerè, realiter, ac pœnalißimè influat, agat, & imprimat in animas separatas ac dæmones, immutando & affligendo eosdem suo calore ineffabiliter uerius ac pœnalius, quàm aliquis in hoc mundo affligi & immutari queat ab ignis calore. Veruntamèn modū & qualitatem immutationis illius arbitror comprehendi non posse ab homine uiatore, quoniam ignis ille non agit, ut agens naturale, sed ut instrumentum diuinæ omnipotentis iustitiæ Hæc illi. Nec secus ferè de hac ignis, in spiritus actione, scribunt ac loquuntur pleriq; alij.

DE CORPORIS SEV TOTIVS coniuncti pœna post Iudicium, Pars nona.

I.

QVemadmodum peccator Deum Opt: Max. non corpore solo, nec sola etiam anima, sed utroq; simul offendit: nec uitijs solum spiritalibus sese contaminat, sed simul etiam carnalibus: nec solum deniq; creaturis spiritalibus in suam perniciem abutitur, sed omnibus promiscuè, ita æquißimum est, ut non anima sola, sed animo & corpore simul perpetuas pœnas luat.

II. *Et ut non una tantum, sed utraq; sui parte pœnas pendet, ita tartareus ignis non altera tantum, sed utraq; actione in eum desæuiet. Nam solæ materiales ignis species, si uitæ actio desit, ad concitandū dolorem per se non sufficiunt, solæ autem intentionales, ut eiusmodi sunt, compositum per se non lædunt, sed perficiunt.*

III. *Dicent fortaßis, qui alteram tantum admittunt, intentionales species potentiæ commensuratas non offendere, offendere tamen improportionatas. Experimur namq; (aiunt) candorem, si nimius fuerit oculorum aciem perstringere, uehementiores sonos aures obtundere &c. Verum etsi isthæc, si forte nolentibus accidant, nonnullam animo ægritudinem conciliare queant, uerum tamen dolorem corpori inferre nequeunt. Siquidem (ut ante ostensum est plenius) dolor citra carnis læsionem contingere nequit, formæ autem istiusmodi intentionales carnem non lædunt.*

IIII. Adde

IIII. Adde rationem, quæ post uniuersalem carnis resurrectionem motum omnem & mutationem è medio submouere contendunt, nullius penè roboris existere: Existimant enim cœlo conquiescente, nullum amplius motum in rerum natura extare posse, quod tamen falsum est, & fidei

Iosue.10. fortaßis non admodum consentaneum (credimus enim Iosuæ militem, cœlorum motibus suspensis, cum hoste congredi potuisse, Beatos non eodem semper cœli spacio hæsuros esse. Volabunt enim sicut aquilæ, & non defatigabuntur: receptiones formarum intentionalium, quæ absq; reali & naturali immutatione fieri nō possunt, in altero sæculo defuturas non esse, & alia præterea eiusmodi permulta.

V. Mitto hoc loco cœlū suo motu, nec esse, nec esse posse uniuersam alterationis causam: siquidem principium, quo alterans naturaliter alterat immutatue, est qualitas quædam alterantis, siue ea cum termino alterationis sit homonyma, siue synonyma: motus autem localis non est qualitas, sed quantitas, quæ utiq; nullius actionis principium per se existit: hactenus tamen cœlorum motus ad generationem facit, quatenus solem & reliqua astra, citra quorum accessum pleraq; humo nascentia non temerè proueniunt, nobis adducit.

VI. Accedit obiectum tempore uel saltem ordine naturæ actum potentiæ antecedere, ut quod ipsam in genere causæ efficientis moueat, ignis autē tartareus ut lædens, est actualis perceptionis, & hinc consequentis læsionis obiectum, prius ergo damnatos lædit, quam ut lædens apprehendatur, & quam dolor ex huiusmodi apprehensione consequatur. Cū itaq; læsio isthæc antecedat omnem omninò spiritalem intentionalem ue mutationem, fit ut adesse nequeat citra realē et naturalem carnis immutationē.

VII. Deniq; quodcumq; tandem de reliquorum sensuum obiectis statuatur, puta quod tantum spiritaliter, citra ullam materialem immutationem sensum afficere ualeant, certè tactus obiecta, & inter ea præcipuè calor, sola intentionali specie sensum tactus immutare posse non uidentur. Calor namq; non aliud in medium uel organum inducit, quàm calorem, aut si quid aliud in ea inducit, id tamen non facit absq; calore,

VIII. At interim negandum non est, quin potentia diuina solæ intentionales species in Inferno adesse queant, sed hic iam nō id agitur, ut intelligamus quid ui diuina fieri poßit, sed quid futurū esse Scripturarū authoritati, Patrum traditioni, rationisue lumini magis sit consentaneum. Multa namq; Deus Opt: Max. posset facere, quæ tamen non facit, quam uis id semper faciat, quod melius, quodq; diuinæ ipsius sapientiæ conuenientius

entius

ensius existit. Aget itaq; tartareus ignis utraq; actione in damnatos, reali inquam & intentionali, & non altera solum.

IX. *Nec hinc tamen certus damnatorum interitus inferri potest. Nam etsi omne dolens necessario uiuat, non tamen necesse est, ut omnis dolor occidat, quia nec corpora ista mortalia omnis dolor occidit. Vt autem dolor possit occidere illa causa est (inquit D. Augustinus) quia sic anima est huic corpori unita ut summis doloribus cedat atq; discedat: quoniā et ipsa compago membrorum atq; uitalium sic infirma est, ut eam uim, quæ magnum & summum dolorem facit, non ualeat sustinere: tunc autem tali corpori anima, & eo connectetur modo, ut illud uinculum sicut nulla temporis longitudine soluitur, ita nullo dolore rumpatur.* Aug. 21. c. 3. de ciui.

X. *Vnde licet nunc nulla talis sit caro, quæ sensum doloris perpeti possit, mortemq; non possit, erit tunc tamen talis caro, qualis nunc non est, sicut tunc etiam talis erit mors, qualis nunc non est, non enim nulla, sed sempiterna mors erit. Prima mors animā dolentem pellit de corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore. Ab utraq; morte communiter id habetur, ut quod non uult anima, de suo corpore patiatur. Quod si corpora faciunt, ut animæ doleant, cur ijs dolorem possunt, mortem adferre non possunt? nisi quia consequens non est ut mortem faciat, quod dolorem facit.* Ibidem.

XI. *Cæterum quod damnatorum corpora ab igne realiter immutata, ab igne affligi queant, corrumpi autem ab eodem non queant, id eodem authore non ex se habebunt, sed aliunde acceptura sunt. Deus namq;, qui fecit mundum innumeris miraculis plenum, addet substantiæ carnis qualitatem eiusmodi, qua uegetata in æterno ignis supplicio sine detrimento ardeat, & sine interitu doleat.* 21. c. 4. 7. de ciui.

XII. *Et cur omnipotens Creator ad iustitiæ suæ seueritatem declarandam impiorum corporibus hoc non præstet, qui ad ostendendas immēsas sapientiæ & potentiæ suæ diuitias, uilissimis quibusdam tenerrimisq; uermiculis eam uim indidit, ut in feruentissimis fontiū scaturiginibus non solùm absq; ullo penitus incōmodo & dolore uitam degant, sed etiam extra eas uiuere omninó non ualeant? multò profectò mirabilius uidetur in feruentibus undis uel flammis uiuere posse, & non dolere, quam in eisdem uiuere & dolere.* c. 2. Ibidem.

XIII. *Qui (inquam) inter cætera potentiæ suæ miracula, sali Agrigentino id præstitit, ut in ignem iniectus fluescat, in aquam crepitet, fonti apud Garamantas, ut noctu ferueat, interdiu supra modū algeat: alteri* c. 4. 5. 6. 7. Ibidem.

rursum in Epiro, ut extinctas faces contactu suo accendat, accensas identidem extinguat: pomis in terra Sodomorum natis, ut morsu uel pressu tentata in fumum uel fauillam euanescant: Pyritæ si uehementius prematur, ut manum adurat: Selenitæ ut una cum lunæ incrementis candoris incrementa accipiat: Paleæ ut ingenita frigoris ui obrutas niues seruet, innato rursum calore, poma immatura maturet: Extincti pauonis carni, ut nunquam putresiat: igni ut calore suo alia denigret, alia candefaciat: calci uiuæ, ut si frigida perfundas accendatur, sin autẽ oleo, nihil incommodi patiatur: Fragili carboni, ut nullo humore corrũpi queat: Adamanti ut nulli igni aut ferro cedat, cedat tamen hircino lacti: Magneti ut ferrum ad se trahat, Theamedi ut admotum abs se pellat: qui (inquam) isthæc & alia id genus sexcenta rebus ab se creatis indidit, quid mirum est, si quid eiusmodi damnatorum corporibus addiderit, quo citra sui consumptionem in perpetuis flammis ardere ualeant.

XIIII. Quamuis fortaßis dici queat eam immortalitatem non prouenire ex forma aliqua, quæ corporibus illis extrinsecus aduenerit, sed ex eo, quod Deus Opt: Max. ad corporum eiusmodi immutationem & afflictationem concurrat, non etiam ad eorundem internecionem: nam cum immutatio, & hinc orta corruptio, diuersæ sint actiones, diuersos terminos sortientes, hæc quidem præexistentis formæ depulsione, illa uerò qualitatis cuiuslibet adeptionem, tametsi altera ad alteram referatur, potuit omnipotens Deus ad unam concurrere, & non ad alteram.

XV. Vel certè ex intrinseca ipsorum corporum constitutione, siue quod formæ eorum totam materiæ capacitatem expleant, siue etiam quod nullum naturale agens post iudicium reliquum sit futurum, quod inhærente iam forma propulsata, aliam introducere queat, siue deniq; quod materia, in qua ignis ille tartareus una cum cœlo & terra primò conditus est, eius rationis existat, ut interitum non inducat: uidemus namq; pro materiæ diuersitate effectus longè diuersißimos ignem producere. Etenim quædam fulmina mollioribus inoffensè penetratis, solida quæq; comminuunt, alia cõtra mollia absumunt, solida uerò nihil quicquam offendunt, alia demum promiscuè omnia in cinerem & puluerem redigunt.

XVI. Erit nihilominus quædam quoq; in Inferno corruptio, non quidem uitæ, aut substantiæ, sed pacis, quietis, & omnis (ut uerbo absoluam) felicitatis. Sunt enim damnati omnes ab ea lege & ordine excußi, secundum quæ eos uiuere oportebat.

De

DE POENARVM TARTAREARUM LATITUDINE PARS DECIMA.

I.

ARdebunt itaq; miseri illi, & affligentur atrocißimè, nō modò æstus similitudine, sed uero natiuoq; ignis ardore: idq; non uno tantùm aut altero anno uel sæculo, aut in uno solo uel altero corporis membro, sed semper & in omnibus, cum animi tum corporis partibus & uiribus.

II. Etenim oculi, qui nunc colorum uenustatē, concinnasq; membrorum συμμετρίας studiose demirantur, multaq;, quæ referre non lubet, nec licet, curiosè simul & exitiosè obseruant, tunc solis, lunæ, cæterorumq; astrorum splendore, suauißima Christi & Sanctorum omnium uisione, omni deniq; quod oculorum sensum quoquo modo capere aut oblectare queat priuati, tenebris, fletu, fumo, terrificoq; dæmonum & impiorum aspectu uehementißimè offendentur.

III. Aures, quæ uocanti Christo malè nunc occluduntur, diaboli suggestionibus latè pādūtur, musicis numeris ad ciendam uoluptatē comparatis distenduntur, ineptas nugatorum facetias, facetasq; ineptias, adulatores rursum, alienæq; famæ corrosores auidè excipiunt, quæq; miserorum clamoribus & fletibus, uiuificoq; Dei uerbo fastidito, ad inanes fabulas sese conuertunt, horribili impiorum clamore, ululatu, fletu, planctu, gemitu, suspirijs, maledictis, blasphemisq; uocibus mirè tunc obtundentur. Isthic enim mater insultabit filiæ, hæc uicißim matri, Pater filio, uxor marito, mæcha concubino, & alteri, ut uerbo absoluam, unusquilibet, qui cum scelerate uixit, aut quodcumq; flagitium patrauit.

IIII. Gustatus, qui esculentis & poculentis pluuq; Sibariticis hic malè sese oblectarat, quotidie splēdidè epulando, immoderatéq; belluando, omni cibariorum & potionum suauitate orbatus, perpetua isthic siti & fame excarnificabitur, aut certè felle & absynthio exatiabitur. Væ (inquit Dominus) uobis, qui saturati estis, quia esurietis. Itē: Ecce serui mei bibent & uos sitietis: serui mei edent, & uos esurietis: serui mei lætabuntur, Luc.6. Esaie.65. Ieb.20.

Hierem.23. & uos confundemini. Rursum: Panis iniqui in utero eius uertetur in fel aspidum, diuitias, quas deuorauit euomet, & caput aspidum suget, Ledet eum lingua uiperæ & omnis dolor irruet in eum. Item: Ecce cibabo eos absynthio, & cibabo eos felle.

V. Odoratus, qui exquisitißimis aromatum & unguentorum odoribus hic ad luxum & lasciuiam abutebatur, teterrimo fœtore istbic affligetur.

Esaie.3. Pro suaui (inquit Propheta) odore fœtor, pro zona funiculus, pro crispanti crine caluities, pro fascia pectorali cilicium. Quæ (inquam) nares modò ne ægrorum saniem, aut aliam quamlibet purulentiam incautè hauriant, studiosè obturantur, tunc omnium fœdißimarum turpißimarumq; sordium, quas undecumq; uel peccatum aggerere, uel ignis conflagratorius ex elementis potuerit excoquere, pædore et δυσωδία uehementißime torquebuntur.

VI. Ad tactum quod spectat, ut is unus omnium latißimè patet, ita ei nusquam non, unde offendi queat, ocurret. Nec impiorum corpora solum enim erunt segnia, crassa, obscura, fœtida, deformiaq;, uerum etiam maximè patibilia.

VII. At uero sensuũ exteriorum pœnæ, ad sensum communem, phantasiã, æstimatiuã, memoriã, cæterasq; omnes tam organicas, quã inorganicas animæ uires ordine quodam penetrantes atrocißimos istbic cruciatus excitaturæ sunt.

VIII. Nam ut de phantasiæ & æstimatiuæ terroribus, anxietatibus, alijsq;, id genus pœnarum monstris, nihil dicatur, quis fando consequi poßit, qnantum tormentorũ uel sola memoria miseris illis est allatura. Nec enim sola bonorum, uoluptatum, & aliorum uitæ huius commodorum, quibus præpostere abusi, æternam miseriam sibi acciuerunt: scelerum rursum & flagitiorum propter quæ in tantam calamitatem præcipites sese dederunt, recordatione torquebuntur, uerùm etiam bonorum operũ; quorum fructum sua ignauia tam turpiter amiserunt.

IX. Atq; ita mortalium omnium infœlicißimi perpetua quadam pœnitudine ducentur, sterili tamen & infructuosa: nec enim ea de causa flagitia sua detestabuntur, quia mala, Deoue aduersa sunt, sed quia maximarum pœnarum causa existunt: sed nec ulla omninò infœlici huic pœnitudini spes ueniæ, aut emendationis propositum adiunctum erit, sed desperatio, horror, & admiratio.

Sap.5. X. Videntes (inquit Sapiens) turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis dicentes intra se, & pœnitentiam

riam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati uitam eorum æstimabamus insaniam, & finem eorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est: Ergo errauimus & iustitiæ lumen non illuxit nobis, lassati sumus in uia iniquitatis & perditionis, et ambulauimus uias difficiles, uiam autem Domini ignorauimus. Hæc impiorum oratio apud inferos.

XI. *Solet quidem ingens corporis animiue cruciatus, et temporum diuturnitas omnium tandem rerum* ἀμνησίαν *inducere: in altero tamen seculo, siue quod omnis ibi rerum & motuum cælestium uicißitudo desit, siue quod corpora, & spiritus ita pœnæ sint obnoxia, ut tamen interitu sint maiora, siue deniq; quod diuina uirtute species omnes, quæ quocunq; modo tristitiã adferre possunt in recentißima memoria usq; conseruentur, nulla eorum omnium, quæ miseriam quoquomodo augere queant, isthic obliuio erit.*

XII. *Sed & inferior appetitus uarijs quoq; modis affligitabitur, hinc quidem implacabili cùm cæterorum omniũ, tum sui quoq; ipsius odio. Nam & se ipsos quoq;, damnati, præ miseriarũ magnitudine ferre non poßunt, inde uerò rursum immenso futurorũ incommodorũ metu, acerbißima tùm pœnæ ullo unquam tempore euadendæ, tùm obtinendæ quoq; fœlicitatis desperatione, ingentiq; ob præsentium malorũ multitudinem & magnitudinem tristitia, rabida deniq; contra Deum diuosq; omnes ira.*

XIII. *Porro autem etsi damnatorum intellectus multis & magnis ignorationis tenebris sit adobrutus, multisq; prauis iudicijs & opinionibus imbutus, attamen quòd peccatum extrema naturæ uestigia non aboleat, non solùm tartarei ignis, cui alligati sunt, acerbitatem uerè intelligent, iugiterq; secum perpendent damnati, sed alia etiam permulta, eiusmodi tamen, quæ afflictis eorum rebus nullum prorsus solamen adferant, sed tristitiam potius augeant: puta pœnarum, quas luunt æternitatem, regni, quod amiserunt, fœlicitatem, Principis, quem offensum infestumq; sibi habent, omnipotentiam, & id genus alia.*

XIIII. *Quid autem rerum uel hic uel apud superos geratur, id, nisi aliunde acceperint, certò compertum non habent, nec alio proinde, quàm generali & confusaneo quodam modo, expendunt. Vidit quidem Lazarum in Abrahæ sinu diues Epulo, sed uterq; tunc temporis apud Inferos adhuc degebat, diuinando tamen & ratiocinando tenuem quandam earum rerum, quæ utrobiq; aguntur notitiam colligere possunt.*

XV. At de beatis longè alia est ratio, nam quo illi de sua beatitate, & à malis omnibus immunitate gaudeant impensius, maioresque & crebriores Deo Opt: Max. cuius solius beneficio tanta illa mala euaserunt, gratiarum actiones exsoluant, miserorum illorum pœnas & calamitates, quotiescunq; & quandocunq; libuerit, conspicabuntur; idq; non solum generatim, sed etiam speciatim.

XVI. Nec hac tamen inspectione ullo omnino dolore aut συμπαθείᾳ afficientur: Non quòd impiorum naturam odio habeant, sed quod diuinæ iustitiæ gloriam & exaltationem impensè diligant.

XVII. Dicuntur tamen Sancti & Angeli miserijs hominum compati non quod reuera ullus omnino dolor, aut συμπάθεια in illos cadat, (alioqui enim non essent perfectè beati) sed quod suis uotis, suisq; precibus nō secus ad miseriā eorum, qui salutis capaces adhuc existunt, depellendā incumbant, atq; illi incumbere ad hoc solent; qui uero aliquo συμπαθείας sensu tanguntur.

XVIII. An autem damnati uirtutū, ut scientiarum habitus, apud Inferos retineant, id non omnino certum est. Nihilominus cùm unaquæq; res sit propter aliquem usum, qui nullus prorsus cuiuslibet uirtutis in Inferno creditur futurus, fortaßis citra temeritatem defendi posset, nullas omninò uirtutes neq; cælitus infusas, neq; usu comparatas, neq; secundum actum, neq; etiam secundum habitum apud Inferos reliquas fieri.

XIX. Atque hac uirtutum omnium orbitate odium, quo damnati in Deum, atq; adeò in omne mortalium genus, etiam in sanguinis, aut alterius cuiuscunq; necessitudinis uinculo coniunctos perpetuo feruntur, maiorem in modum coagmentatur.

XX. Visus est quidem Epulo Euangelicus nonnulla suorum fratrum cura tangi, sed ea cura non oriebatur ex uera aliqua φιλαδελφίᾳ (erat enim utrumq; & μισανθρωπότατος & μισαδελφότατος,) sed ex mera philautia, metuebat enim, si fratres isthinc accederent, crucem suam auctum iri. Cæteris tamen exæquatis, propter animi fastum, suos quam alienos seruari malunt.

XXI. Ad uoluntatem impiorum quod spectat, si eam ut natura, aut naturalis quædam ad bonum quoquo modo cognitum propensio est, consideres, mala esse non potest, ut quæ utrouis modo considerata, non aliunde suam originem trahat, quam à Deo, à quo ueluti à summo bono malū esse non potest: sin autem ex actibus deliberatis eam eius ue bonitatem spe-

ctes